




G E O M E T R I Æ

P R A C T I C Æ

LIBER QVINTVS.



A R E A S

Solidorum, corporumue perscrutans.

SUPEREST tertia magnitudinis species, quæ corpora solidaue cõplectitur. Et quia initio lib. 4. diximus, corpora metienda esse per corpuscula cubica: ita vt quando dicitur corpus aliquod continere 1000. palmos, intelligendum sit, 1000. cubos æquales, quorum singuli latera habent vni palmo æqualia, aream illius corporis explere: docendum iam erit hoc lib. qua ratione cuiuscunque corporis area inuestigetur, hoc est, numerus corpusculorum cubicorum in eo contentorum. Præcipua autem corpora, de quibus acturi sumus, sunt Parallelepipedum, Prismata, cubi, Pyramides, Frusta pyramidum, Cylindri, Coni, Frusta Conorum, sphaera, sphaerarum portiones, quinque corpora regularia, videlicet Tetraedrum, Hexaedrum siue cubus, Octaedrum, Icosaedrum, Dodecaedrum, quæ omnia lib. 11. ab Euclid. definita sunt. His adiungemus nonnulla corpora vacua, & alia quadam irregularia.

DE AREA PARALLELEPIPEDORUM, Prismaticum, & Cylindrorum.

C A P V T I.

^a 30. de fin. vndec.

PARALLELEPIPEDVM ^a est figura solida sex figuris quadrilateris, quarum, quæ ex aduerso, parallelæ sunt, contenta. Huiusmodi figuram solidam exprimit columna aliqua quadrilatera vniformis crassitie. Vt figura solida ABCDEFGH, in qua tam duo plana opposita ABCD, EFGH, quam duo